



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Rerum permutat. Consilium CCCXLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

nicatum & prabendam cum alio permutare possit, nisi Capituli consensu accedente. Queritur, an hoc statutum sic liget singulos Canonicos, ut non possint sine consensu Capituli huiusmodi Canonicatum & prabendam simpliciter resignare in manibus Summi Pontificis.

Respondeo, hoc statutum intra limites verborum, quibus conceptum est, omnimodò concludi, nec extendi ad casum verbi statuti formaliter non comprehensum. * Prout generaliter statuta quorumpcumque inferiorum strictam tantummodo interpretationem admittunt, à verbis eorum minime recedentem, l. *Prospexit D. Qui & à quib. l. 8. §. si is qui navem De exerc. adione*, idemque ad corticem verborum semper intelligenda, *Petrus Anchar. consi. 147. Super alia*. Cum igitur propositum statutum contineat dumtaxat prohibitionem permutationis, non potest videri continere prohibitionem simplicis resignationis. † Et si enim in permutatione species resignationis sit, & resignationis effectum in uno respectu contineat, aliud tamen est permutatio, aliud simplex resignatio, c. *Dilecto & ibi Gloss. in V. resignavit De praben. & dig. & unà consideratione inter se differunt*, ut genus & species, aut saltem generis nomine ad speciem redactio, ut diversæ species inter se. * Et si igitur prohibito toto genere, omnes species prohibita censentur, l. *Lurigeniam §. sed & si Depactus*: specie tamen unà prohibita, non potest dici aut genus, aut quod specie differt esse prohibitum, l. *duobus §. si quis intravit D. de iurjurando*. Proinde ut, nullo prævio aut impetrato consensu Capituli, quis in manibus Capituli resignare potest, nec invitus in Canonicatu retineri; ita quoque & multò magis idem facere potest in manibus Summi Pontificis, apud quem plenitudo potestatis est; & in beneficiis eorumque dispositionibus plenissima potestas, *Clem. 1. in fine Vt lute pend. nihil innovetur. † Nec mirum si sic sine consensu Capituli fieri possit*; cum sint multi casus, quibus beneficii renuntiatio seu resignatio tacite fieri potest: velut per contractum matrimonij, per hæresim, aliosque casus, quibus in Romana Curia beneficia vacare dicuntur; quæ specialiter reservatione corporis iuris inclusa, dispositioni Sedis Apostolicæ reservata sunt, c. *Execrabilis c. Ad regimen De prabend. in Extravag. inter quæ quoque est beneficium in Curia Romana resignatum, d. Clem. 1. & ibi Gloss. in V. mori*. Et quid mirum si id ita liceat; cum recusante ordinario Collatore, Papa ut superior, inferiorem cogere possit, ut resignationem admittat c. *Nullus De iur. patron.*

Nec in consideratione hoc habendum, quod resignatio in manibus Papæ fieri possit in favorem tertij; & sic quidem, ut alteri, quam illi, beneficium conferri non possit, c. *Ex parte 1. & ibi DD. De off. & potest. iud. deleg. ut generaliter etiam est in resignatione ex causa permutationis*. Nam hæc necessitas in Papa non facit, ut idem sit permutatio & resignatio ex alia causa facta, sic ut stricta prohibitio statuti nullo modo comprehendat casum resignationis ex aliâ quàm permutationis causâ factæ. † Vt sanè etiam in præiudicio Papæ, nec sic statuisse potuit, nec voluisse

præsumitur dictum Capitulum; sed potius tacite exclusisse in universum omnes resignationes, etiam ex causa permutationis, quæ in manibus Pontificis fierent. Vt generaliter in omni statuto, etiam iurato, intelligitur ius Superioris exceptum, c. *Venientes De iurjur.* potissimum quia hoc iuramentum proponatur à Sede Apostolica confirmatum non esse. Quæ etiam fuit causa, cur Gregorius Nonus Pontifex in c. *penult. de praben.* alio statuto Capituli Argentinensis à Sede Apostolica tunc non confirmato, de non admittendis ad dictam Ecclesiam nisi nobilibus, reiecto, collationem de Canonicatu & prabenda per Legatum Sedis Apostolicæ ignobili factam approbaverit: ne in potestate inferiorum sit, summo Pontifici manus ligare. Quod extra omnem dubitationem est in proposito; ob id, quòd alternis quoque mensibus ex Concordatis Nationis Germaniæ ad Papam pertineat dictorum Canoniceatum ejusdem Ecclesiæ collatio.

De Rerum permutat.

SUMMARIUM.

De permutatione Beneficiorum.

1. Titulus coloratus sufficit in iudicio possessorio beneficii.
2. Exceptio deficientis iuris in adversario opponi potest in causis beneficiaribus.
3. 15. Permutans beneficium quando redire possit ad compermutatum.
4. 8. Beneficii proprietatem & possessio amittitur per resignationem etiam illam, quæ sit ex causa permutationis.
5. Collatione nulla non acquiritur ius in re.
6. Patronus laicus plures presentare potest.
7. Permutatio quoad penitentiam admittat.
9. Permutatum beneficium an sine nova collatione recuperetur.
10. Beneficium ex causa quâ vacat conferri debet.
11. Causa & demonstratio falsa quando vincit radiationem.
12. 14. Patronus laicus ius collationis & institutionis non habet.
13. Collatio verbalis in solo papa admittitur.

CONSILIVM CCCXLIII.

In suo genere iustus & coloratus est titulus, quo Dominus Ludocus du Boys, ex collatione Regiæ Majestatis, sevientie adhuc bello Gallico jure regaliū obtinuit Canonicatum & prabendam collegiatæ Ecclesiæ divi Petri de Lutoza, spectantem aliqui ad præsentationem Ducis Vendomienis Regis Galliæ subditi; illiusque prætextu ad obtinendum in iudicio possessorio adversus D. Iacobum Wilsim benè fundatus videtur. * Sufficit enim in eo iudicii genere titulus coloratus, *Rota decis. 257. si quis dicat De praben. in novis*; etiam si ex alijs circumstantijs aliqui sit invalidus, arg. l. 1. §. si vir, *De acq. possess.* ut est cum probatur possessio habita auctoritate superioris, licet collatio fortè fuerit ex aliquâ causâ vitiosa, *Rota decis. 393. Si A. conferatur De rest. spoliat. in novis, phil. Franc. in c. final. De rest. spol. lib. 6. accedente præsertim (ut hic evenit) Annalis pacificæ possessionis præscriptione;* tum etiam

tum etiam quoddam defectus juris dicti Domini Iacobi patrocinium præbeat huic possessioni: * quia in possessione beneficii retinendi potest adversarius excludi allegatione deficientis juris, *rot. decis. 261. Licet actor de re iudicata in novis, vel in e. Olim de rescrip. franc. Ripa conf. 39. In hoc iudicio lib. 2. & in interdicto retinenda obstat exceptio tituli invalidi, e. Audina & ibi Panor. in 1. notab. De rest. spoliat. Iam verò constat evidenter, præfatum Dominum Iacobum virtute resignationis ex causâ permutationis cum quondam Domino Ludovico vanden Berge dictorum Canonicatus & præbendæ vero possessore factæ, hoc beneficium obtinere non posse. Nam quamvis permutationi nihil obijciatur; tamen quia postea resoluta fuit, præfato Domino Iacobo reverso & admissio ad suam Ecclesiam parochialem de Bannone, quam pro obtinendo dicto Canonicatu resignaverat ad opus dicti D. Ludovici, cuiusque possessionem idem Dominus Ludovicus obtinere non potuit, *Lud. Gomef. ad reg. de trienn. poss. quæst. 24. †* Non enim ante compermutanti datur regressus ad beneficium suum ex compermutatione dimissum, quam cum non potest pervenire ad compermutatum beneficium, *e. 1. De rer. permitt. lib. 6. Clem. unica eod. tit. in fine.* Cum itaque D. Iacobus auctoritate superioris interveniente ad suam Ecclesiam reversus & admissus sit, censetur dictum Canonicatum dimisisse; cum utrumque retinere non potuerit, *Gomef. d. quæst. 24. Imò non tantum dimisisse, sed magis numquam obtinuisse. †* Quamvis enim per renuntiationem seu resignationem amittatur tam proprietatis quam possessio beneficii, *e. Admonet. c. Quod in dubijs c. Super hoc de renun. & ibi Doct. rot. decis. 23. Fuit dubitatum in novis, † & per collationem seu præsentationem patroni acquiratur jus ad beneficium; tamen jus in re seu ipsum beneficium per vacationem & nudam collationem seu præsentationem non acquiritur, nisi effectum quoque fortiatur collatio seu præsentatio, *Imoc. in c. 2. de in integrum rest. Gloss. in c. Dilectus de præben. Fred. de Senis conf. 234. Oldrad. consil. 312. Thema quæstionis: hoc est nisi subsequatur canonica institutio vel confirmatio illius, qui potestatem instituendi vel confirmandi habet, c. 1. de reg. iur. lib. 6. Patronus autem laicus, (qualis est Dux Vendomiensis) præstare quidem potest, sed non instituere, c. ult. de iure patron. c. Si quis deinceps, c. Nulla omnino 16. quæst. 7. c. Quod autem de iure patron. †* Vade etiam fit, ut præsentatio uno per patronum laicum, quamdiu nondum per superiorem Ecclesiasticum admissus vel institutus est, possit patronus præsentare alium, imò etiam plures successivè; ita ut in casu superior gratificari possit ex præsentatis, cui velit, *d. e. Quod autem, c. Cùm autem c. Pastoralis de iure patron. Cùm ergo veniente D. Ludovico præfatus D. Iacobus non fuerit admissus aut institutus ad dictum Canonicatum, & propter huiusmodi defectum reiecto ac dimisso iure tum adhuc imperfectè acquisito ad eundem Canonicatum redierit, & admissus sit ad suam Ecclesiam; frustra postea mortuo D. Ludovico virtute prioris resignationis & præsentationis sic resolutæ, contendit adsequi & retinere eundem Cano-***

nicaum. * Ut generaliter permutationis contractui inito, etiam ex parte altera implementum sequutum sit, penitentiâ semel dissoluta, & dato repetito, ex contractu amplius ad implementum agi non potest, *l. 1. in fine De rerum permitt. l. Quoniam c. eod. tit. l. Si pecuniam & ibi Gloss. in verb. sed cum de condit. causa data: præsertim quia mortuo D. Ludovico, nullus sit resignantis consensus aut voluntas, per quam resignatio effectum habeat, l. 4. D. Locati.*

Cæterum quia consulimur, num D. Iudocus perinde in petitorio, ut in possessione fundatus sit; ita ut totâ conscientia eo statu, qui nunc est, retinere possit dictum Canonicatum; paucis dicimus, coloratum hunc titulum ad hoc non sufficere. Nam in propositi facti specie dicitur, quod cum imperaverit à Regiâ Majestate tamquam vacantem per mortem D. Ludovici; quodque ex eâ causâ ei facta sit collatio; quæ causâ notoriè falsa est. † Cùm enim, uti superius dictum est, resignatione ex causâ permutationis utrumque facta, beneficia hinc inde resignata vacent, & per resignationem amittatur, tam proprietatis, quam possessio, *d. e. Admonet. d. cap. Quod in dubijs, d. decis. Rota 23. in novis; ita quod permutans si maneat in possessione beneficii prius per eum possessi, dicatur esse detentor sine titulo, Gomef. d. quæst. 24. * & ex multorum sententiâ sine novâ collatione, aut saltem absque licentiâ superioris non possit compermutans redire ad resignatum beneficium dum ad compermutatum alterius adaptionem pervenire nequit, Boerius decis. 97. d. decis. Rota 23. Gomef. d. q. 24. consequens est, dictum Canonicatum non vacasse per mortem D. Ludovici, sed per ejus resignationem ex causâ permutationis cum D. Iacobo initæ diu ante mortem ejusdem D. Ludovici; qui virtute ejusdem permutationis præfatum parochialem Ecclesiam obtinuerat; & morte suâ vacantem reliquerat. †* Quæ Canonicatus hic collatus ex causâ vacationis per obitum seu mortem, in literis collationis expressa, non debetur collatario, neque illius esse potest ex ea causâ, quæ falsa est. Ut enim non potest conferri beneficium non vacans, *e. 1. De concess. præben. ita nec rectè confertur ex alia causâ, quam ex qua verè vacavit; quia ex alia collatum, non acquiritur tamquam deficiente causâ, seu ob falsam causam, c. Susceptum de rescrip. lib. 6. Lapsus alleg. 78. in q. quæst. Patissus conf. 41. nu. 8. in 4. vol.*

Nec ad rem pertinet, quod solet dici, falsam causam seu demonstrationem non nocere, si de corpore constet, *l. Cum in corpore de acq. rer. dom. Nam quamvis diversitas causæ, quæ subinde inter contrahentes hinc inde est, alio aliam causam traditionis præsupponente, cùm utraque ad transferendum dominium idonea est, non impediat dominij translationem; error tamen seu falsitas unius ejusdemque causæ, quæ utrinque observatur, & quam solum præ oculis habet tam conferens quam collatarius, maxime si sit de præterito, vitiat actum; quemadmodum & promissio sine causâ, vel ex falsa causâ de præterito facta non valet, *l. 2. §. circa de dolo malo l. Numquam de donat. d. p. in l. pœrenio & in l. si in stipulatus fu-**

Arque ita relinquitur quoad petitorium, neutri harum partium contententium competere ius in & ad dictum Canonicatum. Possit tamen diligenti acceleratione sibi consulere D. Iudocus, impetrata novâ provisione in Curia Romana: nam quamvis ius patronatus habeat Dominus Vendomius; tamen dubium non est, quin ejus collatio seu presentandi potestas sit devoluta ad Papam: quia amplius quam quatuor mensibus vacavit hic Canonicatus, ab eo tempore, quo D. Iacobus presentationem de sua persona factam, non subsecuta admissione seu institutione, dimisit & repudiavit, revertendo & regrediendo ad suam parochialem Ecclesiam, c. *Quoniam* c. *Cum propter* De iure patron. c. *amr.* § *pen. cod. tit. lib. 6.*

- Sed nec hoc prætermittendum est, quod etiam si præsupponamus, D. Ducem Vendomium non tantum habere ius presentationis, sed etiam collationis, quæ nihil præter inductionem vel admissionem ad possessionem requirit, cuius tamen iuris conferendi laici in genere incapaces sunt, cum sit pro institutione, d. c. *Si quis deinceps*; nisi hoc ex privilegio aliquo Apostolico usurpetur, c. *Adrianus* 63. dist. 1. c. *Generalis* De elect. lib. 6. nihil tamen magis virtute huiusmodi collationis tale ius acquisitum censeri debet D. Iudoco; eo quod collatio prior à Duce Vendomio ipsi facta, pro imperfecta haberi debeat, quia solo verbo facta fuerit; * quod in collatoribus inferioribus à Papa permissum non est, propter fraudes, *Felin. cons. 5. Verum dominus Augustinus nu. 2. Robiss. in tract. benef. tit. de reg. ad collat. bonam lib. 1. Quæ* verosimiliter etiam causa fuit, cur per Capitulum admissus non fuerit; quod scilicet non exhiberit iustas literas suæ collationis. † Deinde quamvis ex privilegio laicus conferre possit, conferendo tamen non acquiritur collatorio ius spirituale ipsius beneficii (quod est ipsius beneficii velut anima) donec fuerit institutus aut admissus per Episcopum aut alium clericum, ad quem ejus rei potestas pertinet, c. *In synodo* 63. dist. 10. *Montaigne in tract. de dignitat. quest. 5. Corneum in tract. de potest. regia quest. 21. ita ut laicus præscriptione aut privilegio id acquirere non possit, c. Auditis & ibi Panor. De præscript. ** Et cessantibus 15 omnibus prædictis, satis fuit Domino Iacobo ad revertendum ad suam dimissam Ecclesiam, quod impedimento facti non potuerit pervenire ad pacificam possessionem dicti Canonicatus, c. *Quia diversitatem* De concess. præben. c. *Imputari* De reg. iur. lib. 6. c. *Significante* De pignor. Rota dec. 189. in antiq. pragmat. Sanctio in tit. de collat. §. *item quod omnino & ibi gloss. V. faciendi.*

De Rerum Permut.

S V M M A R I V M

Beneficialis regressus.

1. Regressus in beneficiis à Papa concedere potest.
2. Expectativa gratia decretis Conc. Trid. inhibita.
3. Regressus est præventiva, non expectativa gratia.
4. Gratia expectativa non continet sub se regressum.
5. Gratia expectativa expr. at per affectionem beneficii incompatibilis, non gratia regressus.
6. Regressus indultum dat ius ad rem & in re.
7. Beneficium collegiatum Ecclesie in Cathedrali expectantibus non nocet.

Conl. Wamef. Tom I.

7. Regressus non nocet ius sequens.
8. Regressum præservat clausula, citra regressus & accessus &c.
9. Regressus non subiecitur Clem. Gratie De rescript.
10. Beneficium vacatio quando contingat per adeptorem alterius incompatibilis.

CONSILIVM CCCXLV.

QUæ pro parte Reverendi Domini Francisci Petri Archidiaconi Ecclesie Cameracensis proponuntur, de iure & facultate regressus, quem ex indulto Apostolico obtinuit ad Canonicatum & præbendam olim Collegiatæ, nunc verò Metropolitanæ Ecclesie S. Rumoldi Mechliniensis; quos ex cessione juris sui D. Ioannes de Lange obtinuerat sub onere annuæ pensionis 40. florenorum, cum hac facultate regressus, ingressus, & accessus ad eodem Canonicatum & præbendam, in eventum, quo vivo D. Francisco, eodem Canonicatum & præbendam ex cessione seu resignatione, aut ex morte dicti D. Ioannis vacare contingerit; prout nuper ex resignatione seu permutatione ejusdem D. Ioannis dicti Canonicatus & præbenda vacaverant, varias considerationem & juris resolutionem habent. Eo tamen omnia recidunt, ut nihil ponatur, quod effectum dicti regressus minueret, aut impedire possit; quin scilicet dictus D. Franciscus dictos Canonicatum & præbendam, vigore huiusmodi reservativæ & præservativæ gratiæ, obtinere & novum possessorem inde exstare possit. Quæcumque enim ex adverso proponuntur, non respiciunt initium hujus gratiæ & facultatis; quasi ab initio aliquo vitio laboraverit, aut inefficax fuerit; † prout etiam dubitandum non est, quin Sanctissimus Dominus Papa ex plenitudine suæ potestatis huiusmodi gratiam & indultum reservativum concedere possit, *Robiss. in prædict. benef. par. 3. tit. de regressib.* & de facultate eodem indulto utendi nullus sit scrupulus, propter literas consensus, & placiti Cæsareæ Majestatis: sed respiciunt ea, quæ postea supervenerunt, & sic resolutionem extinctionemque dicti reservativi indulti: sed ea omnia sic collata sunt, ut nihil eorum sit, quod D. Francisco effectualiter obesse possit.

Nam quod primò obijciatur ex decretis sacri Concilii Tridentini, sess. 24. c. 19. de reformat. quod mandata de providendo, ac gratiæ expectativæ, nemini amplius quovis colore concedi, nec hæcenus concessis cuiquam uti liceat; non potest pertinere ad gratiam seu indultum regressus; quia regressus non est propriè præventiva aut expectativa gratia de futuro, quam ut odiosam, c. 2. de præben. lib. 6. c. nulla De concess. præben. Concilium sustulit: sed est tantum præservatio juris acquisiti modo legitimo; habetque causam de præterito, non similiter de futuro, *Guil. Cassad. dec. 1. de pact.* Sic ut ex sui natura contineat reversionem ad omniem & cessum beneficium alteri ad tempus & sub conditione concessum, *argum. l. Si unquam. C. De reo canon. donat. idque vigore prioris seu primæ vi tituli, Paul. Paris. cons. 5. Vnio istius monast. nu. 8. & 9 vol. 4.* non ex novo aliquo in præventiva seu expectativa gratia fundatum: ita ut regressum habens censeatur habere præambulum titulum ad beneficium consequendum, & *gloss. de Falconib. in tract. de reservat. nu. 47. verj. no.*